



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. V. De vitiis oppositis fortitudini, & partibus illius,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Duplex etiam est vitium seu peccatum observantiae oppositum: unum per defectum, quo nimirum personis in dignitate constitutis honor debitus non redditur; aliud per excessum, quo cultus ipsi defectus supra illarum dignitatem & exigentiam. Quo vitio laborabant illi Ethnici, qui Apotheosm, seu cultum divinum Imperatoribus exhibebant, & per eorum numina jurabant, ut palpo ille qui dicebat.

Iurandasque tuum per numen ponimus aras.
Hanc perniciosam & sacrilegam adulationem, acriter & eleganter redarguit Tertullianus in Apologetico cap. 33. ubi sic ait: *Non enim Deum Imperatorem dicam: vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum vult dici, si homo sit. Interest homini, Deo cedere. Satis habebat appellari Imperator. Grande & hoc nomen est quod a Deo traditur. Negat illum Imperatorem, qui Deum dicit. Nisi homo sit, non est Imperator. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimi curru admonetur. Suggestur enim ei à tergo, respice post te; hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet, tantà se glorià coruscare, ut illi admonitio conditionis suae sit necessaria. Minor erat, si tunc Deus diceretur. Major est qui revocatur, ne se Deum existimet. Augustus Imperij formator, ne Dominum quidem dici se volebat; & hoc enim Dei est cognomen. Dicam planè Imperatorem Dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut Dominum, Dei vice dicam.*

10. Obedientia per defectum contrariatur inobedientia strictè sumpta, secundum quod procedit ex intentione agendi contra praeceptum, atque adeo ex contemptu praecepti & praeipientis. Si quod autem opponitur illi per excessum, proprio nomine caret.

11. Contra inobedientiam acriter invehitur Seneca lib. 3. de ira cap. 16. dicens quod illa in tormentum suum proficit, & imperia graviora sentit, quod contumacius patitur. Sic laqueos fera dum jactat, astringit. Sic aves viscum cum trepidantes excutunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arduum est jugum, quod non minus ledat ducentem, quam repugnantem. Vnum est levamen malorum ingenium pati, & necessitatibus suis obsequi. Ad id Nazianzenus orat. 9. quod sicut obedientiae lege omnia simul terrestria, atque caelestia conservantur; ita inobedientiae pestis & terras vastat, & coelum ipsum, cum in illud pervasit, foede depopulata est.

12. Vitium gratitudini contrarium per excessum, non est nominatum: contrarium verò per defectum dicitur ingratitude, quae ut ait D. Bernardus serm. 51. in Cant. est *ventus urens, sicans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluentia gratiae.*

Per excessum opponitur vindicationi crudelitas, seu saevitia, quae excedit mensuram honestae vindicationis: per defectum verò vitium innominatum, quod potest dici *remissio*, ut docet S. Thomas hic quaest. 108. art. 2. ad 3.

13. Veritati seu veracitati opponitur vitium mentiendi, consistitque mendacii malitia in ea contrarietate, quae inter iudicium internum, & verba seu alia signa ipsum exprimentia reperitur, dum scilicet quae mens negat, lingua affirmat, vel e contra. Unde mentiendi dicitur quasi *contra mentem ire*.

14. Per excessum opponitur amicitiae vitium adulandi, quo nimis blandè aliquis in convictu se habet, omnia probans, omnia laudans, & in omnibus aliorum voluntati se accommodans. Per defectum verò ipsi adversatur litigium, quod pertur-

bat vitam socialem, paritque pugnas & contentiones.

Liberalitati demum per defectum opponitur avaritia, seu nimia cupiditas divitiarum: per excessum verò prodigalitas, quae dat plusquam oportet, aut his quibus non oportet.

ARTICULUS V.

De vitiis oppositis fortitudini, & partibus potentialibus illius.

16. **V**itia fortitudini opposita tria numerantur à D. Thoma hic quaest. 125. 126. & 127. Nimirum timiditas, seu ignavia; intimiditas seu vacillatio timoris, quam Aristoteles 3. Ethic. cap. 7. vocat *aphosian*; & temeritas seu nimia audacia. Timiditas est excessus in timendo pericula, & gravia, & defectus in audendo contra illa. Intimiditas est quando aliquis non timet quod secundum rationem timendum est. Temeritas denique, cum quis excedit in audendo, & aggreditur quod non convenit, vel quomodo, aut quando non convenit.

17. Magnanimitati verò, quae est prima pars potentialis fortitudinis, quatuor vitia contrariantur. Nam ex parte objecti primarij, quod est opus magnum, opponitur illi praesumptio, quae tendit ad magna improporcionata, & supra vires agentis. Ex parte objecti secundarij, scilicet honoris, opponitur magnanimitati ambitio, quae est appetitus honoris inordinatus. Ex parte verò gloriae, quae est honoris effectus, adversatur ipsi inordinatus ipsius gloriae appetitus, qui sumpto nomine ab objecto, inanis seu vana gloria appellatur. Denique ex parte ipsius querentis gloriam, quia non refert illam ad Dei honorem, & edificationem proximorum, magnanimitati opponitur superbia, vitium capitale, cui D. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. septem filias assignat, nimirum inobedientiam, jactantiam, hypocrisis, contentionem, pertinaciam, discordiam, & novitatum praesumptionem. Quatuor praedicta vitia opponuntur magnanimitati per excessum. Per defectum verò opponitur ei pusillanimitas, quae animum inordinatè retrahit à magnis suae virtuti congruentibus.

18. Magnificentiae, quae est secunda pars potentialis fortitudinis, per defectum opponitur parvificentia, ut docet D. Thomas hic quaest. 135. art. 1. Vitium verò per excessum ei oppositum appellatur ab Aristotele 4. Ethic. cap. 2. *Bonansia*, & à D. Thoma *consumptio*, quia sicut ignis in fornace omnia consumit.

19. Vitium contrarium per defectum patientiae, quae est tertia pars potentialis fortitudinis, est impatientia: per excessum, si quod est, proprio nomine caret.

20. Vitium denique quod per defectum opponitur perseverantiae, quae est ultima pars potentialis fortitudinis, dicitur mollities (non illa quae est luxuriae species, de qua infra) sed alia, per quam facile quis recedit à bono inchoato, propter timorem deficiendi, vel propter tristitiam provenientem ex defectu delectationis. Et vocatur *mollities*, quia cedit debili moventi, scilicet praedicto timori, vel tristitiae. Per excessum verò perseverantiae opponitur pertinacia, quae quis nimium propriae sententiae adherens, non desistit ab incæpto cum oportet.